

## DOMINICA OCTADECIMA POST PENTECOSTEN

EVANGELIUM MATTHEI, CAP. IX, VERS. 1-8

1. Ascendens in naviculam transfretavit, et venit in civitatem suam; et ecce offerebant ei paralyticum jacentem in lecto.
2. Et videns Jesus fidem illorum, dixit paralytico: Confide, fili, remittuntur tibi peccata tua.
3. Et ecce quidam de Scribis dixerunt intra se: Hic blasphematur.
4. Et cum vidisset Jesus cogitationes eorum, dixit: Ut quid cogitatis mala in cordibus vestris?
3. Quid est facilius dicere: Dimittuntur tibi peccata tua, an dicere: Surge et ambula?
6. Ut autem sciatis, quia Filius hominis habet potestatem in terra dimittendi peccata, tunc ait paralytico: Surge, tolle lectum tuum, et vade in domum tuam.
7. Et surrexit et abiit in domum suam.
8. Videntes autem turbae, timuerunt et glorificaverunt Deum, qui dedit potestatem talem hominibus.

## VERSUS 1.

*Ascendens in naviculam transfretavit, et venit in civitatem suam, et ecce offerebant ei paralyticum jacentem in lecto.*

*Venit in civitatem suam.*

1. — S. Thomas civitates, quae Christi denominatae fuerunt, distinguit; talis enim Bethlehem fuit, ratione natalitatis, Nazareth ob ejus educationem, ibi factam, Capharnaum propter multa ibidem patrata miracula, et qua diutius quam in aliis locis, ibidem fuit conversatus; de qua etiam civitate intelligendus est S. Mattheus, cum S. Marcus ibi hoc editum fuisse miraculum clare scribat. Lyranus Capharnaum *civitatem suam* nominari existimat, non quia ibi conceptus vel natus fuerat, sed quia praecipua Galilaeae civitas erat, quia in comparatione illius Nazareth parvum tantum castellum erat.

## Et ecce.

2. — Toletus vocem *ecce* considerans, dicit: « Particula *ecce* indicat confestim, cum Dominus curare infirmos paratum se exhibuit hos accuratissime. » S. Marcus dicit quod, dum Salvalor actualiter praedicaret: *Et loquebatur eis verbum, finem praestolati non fuerit praedicationis ejus, sed quia ob densam nimis turbam, ingredi non poterant, illum ex tecto dimiserunt; unde deductur, eos sancta quadam cum impatientia, infirmi sollicitasse salutem; neque id mysterio vacat, quia anima peccatrix, per hunc paralyticum designata, saepeque salutis aeternae indigna, nullam interponere debet pro sui dilationem curatione. Salmeron hoc loco*

quaerit, cur hi bajuli non expectarint, donec Salvalor e domo egrederetur, vel donec paulatim pressura turbae remisisset, vel certe donec suum finivisset discursum? Et respondet, illos noluisse iacturam facere occasionis optime, quam habebant, accelerandi huic paralytico sanitatis remedium: « Quia sciebant, Dominum undique a multis appellari, nec quoquam procedere, nisi densissima stipatam turba, se vero pro sua sarcina parum expeditos ad consequendum, aut per turbam penetrandum ad Jesum. »

## Offerebant ei.

3. — Ecce qualia mundus Filio Dei offerat munera, infirmos nimirum, tribulatos, pauperes, peccatores et alios plures hujusmodi miserabiles homines, cum enim mundus quadam sit lacrymarum vallis, quid aliud praeter miseriam Deo donare poterit? *Ecce in iniquitatibus conceptus sum, dicebat David, Psal. 1, 7, et in peccatis concepit me mater mea. Et Job, xiv, 4, de eodem homine testatur, dicens: Homo natus de muliere, repletus multis miseriis.*

4. — Didacus Stella, in *cap. v. Luc.*, hunc paralyticum divitem fuisse existimat; ait enim: « Non dubito, quod dives esset, nam pauper solus ipse in cubili jacet, solus suam indigentiam patitur; si enim pauper fuisset, non adeo facile quatuor viros, corporis sui bajulos, invenire potuisset, qui tot obstacula superando, ut eum ante Salvatorem dimitterent, tantum ejus causa sudare voluissent: At vero cui pecunia praesto est, in quavis necessitate subsidiarios invenit, in quos omni ex parte largitatem suam effundat; nec tamen id quidquam horum

bajulorum charitati praedjudicare debet, utpote qui tanquam virtuosus, nulliusque lucri cupidi, a sacris expositoribus multum commendantur, Salmeron ita de illis scribit: « Bajuli videntur bene de Christo sensitisse, et fidem erga eum habuisse, et dilectionem erga proximum. » Ex quibus quidem ultimis verbis illos ad id charitate motos fuisse evincitur; unde credere juvat, illos viros fuisse spectabiles et in auctoritate positos, non mercenarios aut homines viles, siquidem obstaculum videntes, quominus ob nimis copiosam praesentium turbam, ad Christum penetrare possent, tectum domus sine licentia domini ascendere, illudque denudare praesumpserunt, ut inde lectum, in quo infirmus jacebat, dimittere possent; unde S. Marcus, II, 4, ait: *Cum non possent eum illi praeter turbam offerre, nudaverunt tectum ubi erat, et patientes, submiserunt grabatum, in quo paralyticus jacebat;* unde hanc industriam ferventis erga salutem paralytici procurandam, charitatis effectum fuisse liquet. Lyranus ait: « Hoc fuit magnam signum fidei illorum, » quae proinde a Salvatore magnopere commendata fuit. S. Bonaventura ait: « Querebant eum inferre et ponere ante eum, ut scilicet ex ejus praesentia sanaretur; unde volebant implere exhortationem Palmistae, Psal. civ, 4, dicens: *Quaerite Dominum et confirmamini, quaerite faciem ejus semper.* »

5. — Ex Evangelio SS. Lucae et Marci constat, optimos hosce viros, dum huic misericordiae officio operam darent, varias sustinere luctas debuisse cum diversis; etenim credibile est, dominum domus, quando tectum denudari, cementa quoque et ligna fastigii domus destrui vidit, fortiter se iis opposuisse; facile etiam credere licet, quod ad hunc rumorem, tota quoque praesentium hominum copia, dum periculum vidit, ne infirmus, ruptis funibus decidens, eos opprimeret, a pulvere quoque inde excitato conspergerentur et laederentur a corruentibus saxis, multis eos contumeliis et injuriis affecerit, idque tanto magis, quia per hanc, ipsorum opinione, importunam compassionem Verbi incarnati praedictio nullum turbabatur. In lingua Syriaca apud S. Marcum legitur: *Dejecerunt tabulatum loci, in quo erat Jesus;* ex quo verbo, hanc tecli denudationem, sancta quadam cum violentia factum fuisse colligi videtur; nam ut Salmeron ait: « Tectum denudarunt et perfoederunt; neque fieri potest, quin aut lapides, aut ligna, aut quid simile, super auditores caderet. » S. Bonaventura ex textu S. Lucae, hocce morale elicit documentum, quod etiam sensui litterali, in praesenti proposito nostro intelligendo non minus deservit, ad denotandum scilicet devolorum horum virorum insuperabiles difficultates et contradictiones: « *Non invadentes, inquit S. Lucas, qui parte illum inferrent praeter turbam, quae solet impedire adventum ad Christum, sicut dicitur, Matth., xx, 31, quod*

*turbae increpabant eos, ut lacerent.* » Tres quoque hoc loco instilnere possumus considerationes, quarum prima sese tenet in ordine ad bajulos, secunda in ordine ad paralyticum, tertia in ordine ad Christum. Et quidem quoad primum, portitores in omnibus his oppositionibus quas patiebantur, non defecerunt animo scientes, mundum communiter operibus bonis et sanctis pro viribus se opponere et maxime quando animas errabundas, quarum miser hic paralyticus typus et figura erat per penitentiam ad Christum reducere studemus; unde exemplo suo nos docet, in similibus occasionibus generosum induendum esse animum, obtinendas ad calumniam aures, nec quidquam a bene coeptis remittendum esse. In *Deo meo*, dicebat David, Psal. xvii, 30, *transgrediar murum.* Magdalena Pharisaei quidem audivit murmur, vehementes interius sensit stimulos, vitae pristinae conversionem ei dissuadentes, ab innumera amasiorum turba, quae contra ejus propositum conjuraverat, illam retractam fuisse multum est verisimile, et tamen omnes hosce superavit assultus; unde de ea S. Augustinus scribit: « Quae fortasse frontosa erat ad fornicationem, frontosior facta est ad salutem. » Ex parte paralytici considerare possumus, quod, licet viderit oppositiones, cognoverit item per sui dimissionem, totam perturbari divini verbi ascultationem, magnis quoque cum doloribus et discrimine se tum ad tectum sublimari, tum deorsum per illud dimitti, adverterit etiam illatum patrifamilias a se et bajulis suis damnum, perceperit denique omnium praesentium lamenta et ob murmurationes, quod, inquam, omnibus hisce resistantis et difficultatis major, instanter occasiones prosequuti fuerit praesentem acquirende corporalis salutis suae; quanto igitur magis nos pro anima incolunitate consequenda sollicitos esse oportebit? Potius pereat mundus, quam anima unica, profecto in difficili adeo atque arduo negotio, quale est animarum, omnes omnino seponendi sunt respectus humani. Ex parte denique Christi perpendi potest, quare nullo compassionis motu tactus fuerit, cum hinc videret humeris suis desuper imminere spirans illud cadaver, eum grave praecipitii periculo, istine vero seiret, se propterea ad divinae suae praedicationis interruptionem compellendum, ad quod cum Salmerone responderet: « Dicendum gratissima fuisse offerentium officia, et charitatem, et aegri patientiam; » multum enim sibi in sancta illa importunitate complacent, quia personas miserabiles, quibus benefacere, corporisque et animae magis salutem restituere posset, sibi adduci gaudebat, nulla habita adducentium importunitatis ratione: *Ista opportune, importune. Afferte Domino, monebat David, Psal. xxvii, 1, filii Dei, afferte Domino filios arietum.* Idem quoque Salmeron ponderat, quod si quis penes principem aliquem, audientiam habere desiderans, eamque per

viam ordinariam quæsitam habere non valens, tecum ascenderet, perque illud denudatum in conclave, in quo princeps moratur, descenderet, ulique « iudicaretur his actus stultus et arrogantis plenus, merereturque gravem repulsam a principe; secus « est apud Deum, qui non habet pro superbo, quod « mundus iudicat superbam, » nec temerarium censet, quod mundus temerarium arbitratur; apud Deum omnino accidit contrarium illi, quod apud principes terrenos evenire solet; hi enim importunitatem replicatis vicibus et cum instantia supplicantium fastidiunt et nauseant; at vero, ut S. Gregorius ait: « Vult Deus rogari, vult cogi, vult « quadam importunitate vinci; bona violentia, qua « Deus non offenditur, sed placatur. » Idem quoque in S. Ambrosio, *Serm. xv*, legitur, dicente: « Quis- « quis violentior Christo fuit, religiosior habebitur « a Christo. »

6. — Albertus Magnus, *Serm. lxxiii*, in sermone super hoc Evangelium, per hosce paralytici bajulos, pietatem et misericordiam Dei, nec non servorum ejus intercessionem intelligit: « Per illos, qui paralyticum Domino obtulerunt, intelligitur ipsa « divina misericordia et orationis iustorum divina « misericordia per infirmitatem et adversitatem « flagella compellit intrare; orationes etiam iustum offerunt Christo, ut salventur; » idque patet in exemplo intercessionum S. Stephani, que Deo et Ecclesie S. Paulum acquisiverunt. Quod si quæras, cur portitores hunc paralyticum solum præsentarint absque eo, quod vel verbum pro eo loquerentur? Respondet Toletus: « Operum gravitate et fidei « vehementia sanitalem paralytico non solum petebant, sed etiam efflagitabant. Advertendum igitur, non solas voces exteriores, aut opera, sed etiam desideria interiora esse petitiones et clamores apud Deum, » juxta illud, *Psal. x, 47*: *Desiderium pauperum exaudivit Dominus.*

7. — Thomas super Matthæum ait: « Illi, qui « portant eum, sunt qui suis monitionibus portant ad Deum. » Glossa per illos, Doctores sacros, qui nos docent, nosque convertunt, intelligit: « Doctores sunt, qui sublevant et offerunt Christo, monendo et intercedendo. » Hugo Cardinalis per illos prelatos ecclesiasticos interpretatur: « Prælati pro subditis orando et eorum miseras ei offerendo, illis offerre dicuntur. » Dionysius Carthusianus similiter scribit: « Dum Christiani præsertim prælati, et qui animarum curam habent, ac « seniores, viderint quempiam, spiritualiter paralyticum, id est, acediosum, lascivum, aut quibus « cumque magnis peccatis fœdatur, portare eum « protinus debent ad Jesum, orando pro ejus conversione, seu exhortando ad sermones et ad « homines spirituales, quorum exemplo, fama, « doctrina, meritis ac precibus possit converti. »

8. — A quatuor portabatur, inquit S. Marcus,

per quos in sensu spirituali, quatuor novissima serio meditata intelligere possumus; unde idem Carthusianus ait: « Possunt intelligi quatuor novissimorum diligentes considerationes; » vel etiam juxta aliam ejusdem Auctoris considerationem: « Divinus instinctus hominem ad bona instigans, « Angelica inspiratio, exhortatio quoque hominum « superiorum, naturalis instinctus ad bonum, quia « synderesis semper movet ad bonum; seu propria « ratio per Scripturas instructa, seu naturali lege « edocta. »

9. — Didacus Stella considerat quatuor fuisse, qui miserabili huic homini succurrerunt, et pro consequenda corporis animæque salute, eum ad Salvatorem adduxerant: « At nunc quatuor, » inquit, « non invenies, qui te ad Christum ducunt, « imo his ducentos, qui te ab eo submoveant, et « in infernum ducant. »

10. — Considerari etiam hoc loco potest, quod cum tres Evangelistæ hanc historiam referant, nullus tamen illorum dicit, quod vel Christus, vel ex tota illa multitudine aliquis, vel denique dominus domus ullum indignationis verbum prolulerint adversus eos, qui sermonem turbantur, lectura denudarunt, lapides, ligna, cæmenta super circumstantes dejecerunt; cujus ratio esse potest, quia omnes exemplum Christi secuti; credibile enim est, quod, quia Christum id non modo patienter toleraverat, sed etiam in sancla illa importunitate complacentiam habere viderunt, omnes illis, acquieverint, et potius ad compassionem hujus infirmi, ipsi quoque moti fuerint, ferventem simul eorum charitatem admirantes, qui tanto cum amore, et labore, et patientia, ipsum ante Christum dimittentes offerrebant; præterquam quod omnes cum silentio suspensi stabant, miraculum sperantes.

#### Paralyticum jacentem in lecto.

11. — S. Marcus, ii, 3, dicit, Christum actualiter divinum annuntiasse verbum, quando infirmus hic ad eum delatus fuit: *Loquebatur eis verbum, et venerunt ad eum, ferventes paralyticum.* Optimam sane captarunt occasionem, siquidem ut veridicum Spiritus Sancti calamus attestatur, *Psal. cvi, 2*: *Misit verbum, et sanavit eos, et eripuit eos de interitionibus eorum;* et S. Ambrosius ait: « Loquere, « Domine Jesu: verbum tuum medicina est; » optimum salutem spirituales recuperandi medium est auscultatio verbi Dei.

12. — Per hanc paralytin propriissime significatur aecidia, quia sicut hæc infirmitas originem habet a frigore, et humoribus densis et crassis, nervos occupantibus, qui impediunt, ne spiritus vitales per sensuum instrumenta transire possint, ita quoque aecidia a frigore trahitur et nauseæ rerum spiritualium, et defectu charitatis derivatur. « Pa-

« ralysis, » inquit Lucas Brugensis, « humore noxio « nervos corporis, qui motus sunt organa, occupat « et torrefacit, sic ut, qui laborat hoc malo, membra corporis non ad usum, sed ad sarcinam « molestam habeat, ut propemodum animatum, « cadaver esse videatur, non ad aliud spirans, nisi « ad ponam suam; » et ideo sicut, quando paralysis per totum corpus spargitur, omnes ejus partes inutiles reddit; sic quoque dum aecidia animam occupat, adeo eam torrefacit, ut ipsam nullum opus bonum facere permittat, et ad omnia inutilem reddat, quia charitas ei deest et amor Dei, qui omnibus operibus nostris meritum tribuit. Albertus Magnus ait: « Acediosus habent linguam, manus, « pedes, et alia membra, et tamen non movent ea « in obsequium Jesu Christi, unde sunt quasi toti « paralytici. »

13. — S. Hieronymus super Marcum in hoc paralytico, hominem carnalem intelligit, qui ad penitentiam reduci desiderat: « Paralysis autem « typhus est corporis, quo piger jacet in molliitate carnis, habens desiderium salutis. » Interlinearis inquit, quod paralyticus designet « animam illecebris carnis resolutam, jacentem in lecto, corpore, « ubi jacet anima. » Beda autem conformiter ad S. Hieronymi sententiam ait: « Curatio paralytici « hujus, salvationem designat animæ, post diuturnam illecebræ carnis inertiam, ad Christum suspirantis. » Observatque bajulos hoc ad nimiam turbam ad Christum penetrare non valentes, coacte aliam misisse viam: « Turba interposita ab omni « parte intercluduntur, quia sepe anima post infirmi corporis desidiam, ad Deum respiciens, « supernæ gratiæ remedio cupiens inchoari, « præcæ consuetudinis obstaculo retardatur; » sed postquam anima ad penitentiam et emendationem reduca est, necessum est, ut priorem omnimode viam deserat, si conversionem suam et emendationem stabilire desiderat.

14. — Lyranus in sensu morali inquit: « Per « paralytin significatur peccatum mortale, quod « privat actum meritorium, » considerat Auctor animæ peccatrici dispensia, « privatur gressu meritorie affectionis, tactu operationis, gustu suavitatis celestis, visu divinæ contemplationis, auditu divini sermonis, odoratu divinæ consolationis, et « cum pervenit consuetudo, tunc jacet in lecto. »

#### Additiones.

a. — *Et ascendens in naviculam transfretavit.* Hujus textus triplicem explicationem vide *Dom. IV post Epiphaniam. Matth., viii, 23.*

b. — *Et venit in civitatem suam.* Quæ ista sit civitas, quæ sua dicatur, controversiam est inter Scriptores. Sedulus Bethlem existimat in qua natus fuerat, D. Hieronymus, cum aliis, Nazareth intelligit, in qua educatus fuerat. D. Augustinus

vero, *lib. II de consens. Evang., cap. xxv*, Galileam provinciam interpretatur in qua erat Nazareth. Melius tamen D. Chrysostomus, *Hom. xxx*, Euthymius, Theophylactus, etc., Capharnaum accipiunt in qua frequenter habitabat, ut notatur, *Math., iv, 13*: *Relicta Nazareth venit, et habitavit in Capharnaum maritima.* Et hoc miraculum factum fuisse in Capharnaum, aperte patet ex S. Marco; et ita Christus Dominus non unam civitatem sed plures condecoravit, Bethlem nativitate, Nazareth educatione, Egyptum fuga, Cana Galilee suo convivio, Jerusalem passione, Capharnaum insigniviti sua habitatione, prædicatione, ac miraculorum operatione. Sed omnes rationes cur Capharnaum dicatur civitas sua, indicant in sensu mystico civitatem suam esse animam nostram. *Ac primo* quidem Capharnaum ideo dicitur civitas sua, quia eam elegit in habitationem, ut ex supra citato Matthæi loco patet; sic quoque merito anima nostra dicitur civitas sua, quia anima nostra est Paradisus et locus deliciarum Dei, ejusque templum. Isaias Propheta, postquam futuram Verbi incarnationem indicasset, qua mediante Deus cum hominibus familiariter conversaturus erat, indilate mentionem subjunxit suavitatis et dulcedinis earum consolationum, quas in nobis esse habiturus, *Isa., vii, 14*: *Eccce virgo concipiet et pariet filium, et vocabitur nomen ejus Emmanuel,* quod idem est quod nobiscum Deus; at vero ad hanc inter nos moram et mutam conversationem, ineffabile Dei consequitur gaudium, prout ex verbis sequentibus clare deducitur: *Butyrum et mel comedit,* quod idem est ac si diceret: *Deliciae meae esse cum filiis hominum.* *Prov., vii, 34*; « quasi dicat: Inter homines conversari, « degere atque ipsos lucrari, mellis ac butyri loco « ponet, quibus nihil est in deliciis suavis, » ait Salazar, in *Prov.* In Levitico, *xxvi, 11*, Deus dicit: *Ponam tabernaculum meum in medio vestri, ambulabo inter vos.* Quæ quidem verba, tametsi quoad litteram de tabernaculo Dei, quod Moysi a Deo in deserto præscriptum fuit, quando una cum populo per illud gradiebat, quoad spiritalem tamen sensum, etiam de anima interpretari possunt, quam Deus in tabernaculum suum elegit. Unde etiam Villanova ait: « Grandis animæ capacitas, in qua « non solum inhabitandi, sed inambulandi locus « est; quid namque sunt animæ justi potentie, « nisi amplissima Dei inambulatoria? Quotiescumque « que ergo bonorum desideriorum et affectionum « motus, contritionis stimulus, devotionis ardore, « in teipso persenseris, gressus Dei et vestigia Spiritus Sancti, in templo suo deambulantis agnosce. » Verbum autem ambulare, animi quandam dilatationem et recreationem exprimit, quia est quædam ambulatio animi recreandi causa instituta. Unde cum dicit Dominus: *Ambulabo inter vos,* plane insinuat animam nostram esse locum quem-

dam creationis suæ, quam in anima invenit potius quam in aliis creaturis: *Delicia meæ esse cum filiis hominum.*

*Secundo, Zacharias episcopus, Comment. in Evang. lib. II, cap. LII, sic ait: «Nunc ergo quis dubitat » Capharnaum fuisse civitatem Domini, quam non » nascendo, sed miraculis illustranda suam fecer- » rat? » In nulla civitate, tot miracula et mirabilia operatus est Dominus, ut in Capharnaum, et ideo peculiariter hæc dicitur sua civitas, quia tantis donis ac beneficiis eam sibi comparavit ac coemit. Merito igitur quoque anima nostra dicitur civitas sua, quia magnum pro ejus redemptione persolvit pretium, et quia Capharnaum ideo magnificabat, quia longa prædicatione, ac magnis signis et miraculis, eam sibi comparavit, merito et ideo animam nostram, ob ingens pretium pro ea persolutum magnificat et æstimat. Merito sanctus Apostolus, I Cor., vi, 20, nobis pretium magnum ob oculos ponit, quo sumus redempti, dicens: *Empti estis pretio magno, siquidem cum non solum una pretiosissimi sanguinis stilla, vel unica lacryma, aut unicum suspirium, sed etiam unicus interior voluntatis actus ad redemptionem nostram sufficere potuisset, ipse tamen voluit ut esset copiosa apud eum redemptio, idque nullo alio fine quam ut in infinitæ æstimationis per hoc veniremus notitiam, qua animam nostram tanto pretio dignam esse æstimavit. Unde Eusebius Emisenus ait: «Quam » pretiosus sis, si factorem forte non credis, inter- » roga redemptorem. » Et S. Bernardinus ait: » Nota cum quanto pretio es redempta, quia cum » sanguine et vita Christi ad denotandum pretiosi- » tatem animæ, quia unus passus pedis et unicus » ictus oculi Christi erat sufficiens pro redemp- » tione decem millium mundorum. » Et subdit idem sanctus Prædicator, hoc fuisse unicum S. Apostoli motivum, cur dixerit: *Empti estis pretio magno.* Notanda vero sunt hæc S. Augustini, in *Psal. c.* verba: «Nec pro parvo sapiens magna » dedisset; » exinde namque colligitur, quod hæc pro anima nostra facta pretii exsolutio, non fuerit casualiter, sed summa cum sapientia et præmeditatione facta; sicut enim Christus adeo est liberalis, ut pro animæ redemptione nequaquam daturus fuisset modicum, ita quoque adeo sapiens est et prudens, ut pro re parva magna daturus non fuisset. Imo pro una anima sola, se æquali cum affectu, in crucis patibulum agi fuisset, quam pro omnibus animabus simul et collective sumptis, adeoque anima nequaquam parvi æstimanda venit, siquidem Christus negotiator prudentissimus pro illa sibi comparanda, dedit omnia quæ habuit: «O » anima, tanti vales!» exclamatur S. Augustinus. Et S. Bernardus dicit: «Magno pretio æstimata es, o » anima, pro qua requirenda e summo Cælorum » Dei Filius descendit in uterum Virginis. Quis**

« sapiens pro requirendo obolo itinere centum die- » rum voluntarie laboraret? Ergo magna quidem » res est anima mea, pro qua requirenda Deus in » mundum descendere dignatus est.»

c. — In nulla civitate tot miracula et mirabilia operatus est Dominus, ut in Capharnaum, et ideo peculiariter hæc civitas dicitur sua, quia tantis donis ac beneficiis eam sibi comparavit ac coemit. Merito igitur in sensu mystico anima nostra dicitur civitas Domini, quam tot donis replet ac beneficiis, cui tot gratis et auxiliis assistit. S. Chrysostomus, in *Psal. xli* scribens, ait: «Reputa quæ per totam » tuam vitam accepisti a Deo beneficia, omnino ea » permulta invenies, non solum in tota vita, sed » vel in uno die. Si vellet Deus omnia beneficia, » quibus nos quotidie afficit, imprudentibus nobis » et nescientibus in medium afferre, ne ea quidem » enumerare possemus.» Et *Hon. xvi* in *Math.*, ait: «Nolentibus nobis sua interdum beneficia largia- » tur et juvat sæpius nescientes.» S. quoque Augus- » tinus hanc licet occultam divinam beneficentiam, his verbis meditatur: «Magnum est etiam, et hoc » nomine, quod multa mihi antequam possem, vel » vellem, aut nossem, dona contulisti. Non solum » ante, sed et postquam senii, et potui te petere, » te querere, te desiderare, tibi inhærere, gratuita » bonitate tua, non petenti, non quaerenti, non » desideranti, imo etiam partipendenti, vel etiam » contemnenti largitus es.» Et alio in loco: » Quando errabam, eduxisti me, quando ignora- » bam, docuisti me, quando peccavi, corripuisti » me, quando tristabar, consolatus es me, quando » cecidi, erexisti me, quando steti, tenuisti me.»

d. — Ad mysticum sensum potest iterum dici, Evangelistam Capharnaum dixisse civitatem Christi, eo quod incolæ magno charitatis ac compassionis affectu, erga miserum hunc paralyticum essent dotati; et in hoc sibi partem aliquam vindicare vide- tur, ubi opera vigent misericordiæ, quæ præ aliis bonis operibus Deo grata sunt et accepta. Idemmet Salvator qui in extremo die iudicii, in throno Majestatis tanquam supremus Judex considerabit, ad condemnandum vel absolvendum omnes et quas- cumque animas pro meritis suis, tametsi apud S. Matthæum, *xxv, 34*, se solum opera misericordiæ corporalis remuneraturum esse dixerit, daturumque illis præmii loco regnum Cælorum: *Possidete parvum vobis regnum a constitutione mundi. Esurivi enim et dedistis mihi manducare;* nihilominus in *cap. xvi* ejusdem Evangelii, de eodem tribunali pariter disserens, ait: *Filius hominis venturus est in gloria Patris cum Angelis suis; tunc reddet unicuique secundum opera ejus.* Quod quidem si revera adimpletum sit, de quo nullum est dubium, cur igitur tot alia facebantur opera et merita insignia virgin- itatis, martyrii, solitudinum, jejuniorum austeris- simorum, ciliciorum, vigiliarum, orationum, con-

versionis animarum, perpressarum persecutionum et tot aliarum ærumnarum, quas Sancti Dei pertulerunt, qui, ut S. Paulus ait, *Hebr., xi, 37: Lapidati sunt, secti sunt, in occisione gladii mortui sunt, circumierunt in melotis, in pellicibus caprimis, egentes, angustati?* Quanam est illa operum misericordiæ super omnia alia opera virtuosa specialis prærogativa, ob quam illa in discussione universali merito- rum omnium electorum, cunctis aliis virtutibus anteponenda erunt? Respondet Dionysius Carthusianus: «Ut homines ex his verbis invitentur ad » opera pietatis.» Etenim Filius Dei affectu et amore hæc opera prosequitur, eique adeo placent, ut omnia alia, quantumvis illa sublimia sint et herica, non quidem immeritata, sed non commemorata prætereat. Per quod nobis innuere con- tendit summam curam et sollicitudinem, quam habet de eo, ut se fidelis in subveniendis proximo- rum necessitatibus diligenter exerceat. S. Leo Magnus, de iudicio extremo, ejusque examine et processu disserens, ita scribit: «Quasi nec alias » virtutes dexteri, nec alias offensiones habeant » sinistri. Sed in illo magno, summoque iudicio » tanti æstimabuntur, vel largiatis benignitas, vel » tenacitatis impietas, ut pro plenitudine omnium » virtutum, et pro summa omnium commissorum » et per unum bonum isti introducantur in regnum, » et per unum malum illi mittantur in ignem æter- » num.» Ac demum doctrinam suam hæc memo- rabiliter concludit sententia: «Nemo igitur, dilectis- » simi, de ullis sibi bonæ vitæ meritis blandiatur, si » illi defuerint opera charitatis.» Quibus verbis operibus misericordiæ nomen charitatis attribuit, quia suam a dilectione erga Deum et proximos habent originem. Cornelius Jansenius super hæc verba Matthæi: *Esurivi, et dedistis mihi manducare, etc.*, scribens, pariter et ipse misericordiæ opera hoc eodem epithelo indigitat, dicens: «Hujusmodi » dilectionis enumerat opera, quæ omnibus com- » petere possunt.» Dionysius Carthusianus similiter inquit: «Opera misericordiæ directe et eviden- » ter includunt charitatem, virtutum reginam.» Deus opera misericordiæ tanti facit, ut eodem pondere, et hæc, et illam trutinat. Didacus Stella, super illa verba, apud S. Lucam, *vi, 36: Estote misericordes sicut et Pater vester misericors est,* inquit: «Contemplari debes excellentiam misericor- » diæ, quæ homines similes Deo facit, et in illa re » similes, quæ gratiosior et divinius in ipso est; » nam certum est quod major perfectio, quæ repo- » riri potest in creatura, est similem esse Deo; et » quanto magis hujus similitudinis obtinuerit, tanto » perfectior erit. Si omne animal diligit sibi si- » mile, si misericors similis est Deo, certum est » quod a Domino magis diligitur; nam cum Domi- » nus infinite misericors sit, omnes eos diligere » debet, quos invenerit misericordia indutos, tan-

« quam legitimos filios, qui ei assimilantur. »  
e. — *Et ecce offerebant ei paralyticum jacentem in lecto.* Mira profecto oblatio, quam Capharnaite in hodierno Evangelio offertur Christo Domino: homi- nem nempè paralyticum, manuum et pedum om- niumque membrorum usum destitutum, jacentem in grabato. Quid agitis, o Capharnaite? Nonne Deus in lege vestra mandavit vobis, ne offerretis ei hos- tiam debilem et defectibus obnoxiam? Mira est quidem hæc oblatio, sed Christo Domino pergrata, cujus cibus est conversio peccatorum. Salvator nos- ter longe melius satiusque quam Archangelus Raphael dicere posse videtur: *Ego cibo invisibili, qui ab hominibus videri non potest, utor.* *Tob., xii, 19.* Cibus namque ejus est animarum conversio. Anhelus defessusque residens ad puteum Jacob in Samaria, multis variisque modis impiam illam mulierem ad emendationem inducere allaborabat, quando supervenientes Apostoli, cibos ex urbe allatos ei obtulerunt: *Interea rogabant eum discipuli ejus dicentes: Rabbi, manduca. Ille autem dixit eis: Ego cibum habeo manducare quem vos nescitis.* *Joa., iv, 31.* Quibus verbis attoniti dum hererent disci- puli, nescientes si Christus alunde forsitan refectionem obtinisset, coelestis subjunxit Magister: *Meus cibus est, ut faciam voluntatem ejus qui misit me, et perficiam opus ejus.* Ubi Doctor Angelicus qualitate cibi de quo Christus locutus fuerat, in hæc assignat verba: «Cibus autem iste, quem Christus mandu- » care habebat, est salus hominum quam quærebat. » Sicut enim nobis cum esurimus concupiscibile est » manducare, ita et salvare nos.» Conversionem itaque Samaritanorum proxime prædicationi ejus corresponsuram præviderat Dominus, hocque ipsum tot tantarumque animarum lucrum cunctis delicia- tissimo lautissimoque præferbat convivio. Quem proinde textum Interlinearis ita exponit: «Cibum » habeo manducare, conversionem Samaritanorum.» Et S. Cyrillus, a Glossa citatus, inquit: «Cibum » snum putat, perditurum hominum conversio- » nem.»

f. — *Offerebant ei paralyticum jacentem in lecto,* absque eo quod vel verbum pro eo loqueretur. In oratione enim plus cor quam lingua requiritur: hanc Deus non auscultat, nisi cordi consentiat. Sancta mater Samuelis Anna, priusquam dignum adeo partum impetrasset, ob sterilitatem suam afflictâ, hæc enim apud populum Hebræorum maledictionis erat indicium, sæpe se conferebat in Silo, ubi Arca erat, ut pro liberatione sui ab hoc opprobrio Dei pietatem imploraret. Observandum vero est modus, quo sacer textus orationem Annæ describit; videlicet: *Cum illa multiplicaret preces coram Domino, factum est ut Heli observaret eum.* Porro Anna loquebatur in corde suo, vox penitus non audiebatur. Quam vero oratio ejus efficax fuerit, deduci potest ab exitu adeo propitio, quem est

sortita. At vero dicit aliquis: Quomodo mulier hæc oravit, quando nulla ejus vox audita fuit? Dubium hoc resolvit S. Cyprianus his verbis: « Deus non « vocis, sed cordis auditor est, nec admonendus est « clamoribus, qui cogitationes hominum videt. » Idque in sancta hac muliere exemplificat, ita de ea scribens: « Loquebatur non voce, sed corde, quia « sic Deum sciebat audire, et impetravit efficaciter « quod petit. » S. Bernardinus Senensis ait: « Primum opus divinalis pietatis oratio dicta est. » Cujus hanc primam et principalem assignat rationem, inquiens: « Quia principaliter fit in corde, et « per eam Dei pietas in anima generatur. » Et in alio quodam sermone, Angelum quemdam Seraphico dixisse, quod orando universam commoveret curiam coelestem: « Legitur quod Angelus ei dixit: « Tu commoves totam coelestem curiam, quia nullus « nisi tu tibi auditor. » At vero qua voce hanc terrestrem Seraphinum clamasse existimatis, ut totum et vastissimum cœlum commoveret, qui adeo extenuatus et debilis erat ut vix verbum articulare posset? Subdit Bernardinus: « Et tamen nihil ore, « nisi corde. » Idem ex S. Bernardo orationis tradit etymologiam, dum ita scribit: « Dicitur oratio, « secundum Bernardum, quasi oris ratio, eo quod « cum attenta ratione fieri debet, cum homo loquatur Deo. » Totum enim cor, totaque mens orantis intenta debet esse Deo, cum quo loquitur. Subdit idem Sanctus: « Sine hac attentione rationis, oratio « omnino inefficax est. Proinde, I Cor., xv, 44, « Apostolus ait: *Si orem lingua, scilicet tantum, « mens mea sine fructu est; ac proinde subjungit: « Orabo spiritu, orabo et mente; psallam spiritu, « psallam et mente. »*

Quamnam existimatis esse causam, quod licet æterna veritas in diversis Sacræ Scripturæ locis stipulatam et inviolatam nobis fecerit promissionem, deferendo nobis in urgentibus necessitatibus nostris subsidio, dummodo per orationem ad eum confugiamus, nihilominus sæpissime nullum orationum nostrarum consequamur effectum? S. Vincentius Ferrerius in sermone quodam ad hoc respondere videtur, dum ait: « Debemus recurrere ad « Deum, qui nunquam deficit, nisi sit defectus « noster, quia elevamus oculos corporales versus « cœlum, sed non cor. » Adducitque illum Apostoli ad Corinthios textum supra citatum: *Si orem lingua, etc.* dixitque: « Propter hoc dicit Jesus « Judeis orantibus solum ore: *Populus hic labiis « me honorat, cor autem eorum longe est a me; ideo « sine causa colunt me;* id est, sine utilitate. »

Inutilem hanc multorum negligentium Christianorum orationem Blossius his verbis detestatur: « Quam multi sonant voce, et corde muti sunt! Et « quam multi tacent labiis et clamant affectu! Quia « ad cor hominis aures Dei. » Non dicit aures Dei intentas esse ad vocem orantis, ita enim videbatur

dicendum, quia auditus relationem habet ad vocem, sed dicit, ad cor hominis aures Dei, quia oratio cordis est, non labiorum. Quod si vero is qui orat, etiam lingua uti vult, ut per hanc tanto melius affectus suos Deo exprimat, huic tamen advertendum est, ad hoc illi contentandum esse, ut voces ejus cordi serviant, quodque verba ore prolata, in omnibus et per omnia a mente dependere debeant, quia Deus non verba, sed sensum cordis nostri attendit, non motum labiorum, sed interiores affectus nostros respicit.

§. — Per hanc paralysim, ut supra, n. 12, dictum est, propriissime significatur aecidia quæ inter alia vitia capitalia connumeratur, adversus quam non solum Scripturæ Sacræ, verum etiam sancti Patres et asceticæ vitæ Magistri, graviter et unanimiter in scriptis suis invehuntur. Porro tametsi definitiones in substantia ad unum eundemque scopum tendant, attamen in eadem describenda sacri Doctores multum variant. Doctor Angelicus S. Joannis Damasceni sententiam secutus, his eam verbis adumbrat: « Aecidia est quædam tristitia aggravans, quæ « scilicet ita deprimit animam hominis, ut nil ei « agere libeat, sicut ea quæ sunt acida, frigida « sunt. Et ideo aecidia importat quoddam tædium « operandi, ut patet per hoc quod dicitur in Glossa « super illud Psalmi: *Omnem escam abominatio est « anima eorum,* et a quibusdam dicitur, quod aecidia « est torpor mentis bona negligentis inchoare. » S. Bonaventura S. Augustinum sectatus eam hoc modo definit: « Definitur aecidia a S. Augustino: Tædium « interni boni. » Idem S. Bonaventura alibi hunc insinuat aecidie effectum, quod scilicet quod bonorum operum tædium generet: « Aecidie, » inquit, « natura est ut tædium boni generet, animi torpor « rem causet, mentem gravet tristitia. » Albertus Magnus undenam aecidia nominis sui derivet etymologiam, his verbis declarat: « Aecidia denomi- « natur ab aecidine, quia per eam anima tædium « habet de omni spirituali difficili. » Bellovacensis quoque idem aecidiosi hominis signum his verbis tradit: « Negligentes cultum Dei, fastidium et « divinum officium indevolissime reddunt. » Pater Magister Avila in litteris suis de hac eadem tractans materia, Israelitarum manna nauseantium adducens historiam, inquit: « Gustus eorum infectus corrup- « tusque erat, non vero manna, utpote suavissimi « cibis saporis, et nihilominus tanta eorum erat « cæcitas, ut non de se ipsis, nec de propriis in se « predominantibus humoribus, sed cibo omnem in « se suavitatem, dulcedinemque habente conque- « rerentur. » Eadem penitus multorum est conditio, qui vitam spirituales fastidiunt et naseant; non quasi ipsa summan in se non continet consolationem, propterea namque dicebat David: *Gustate et videte, quoniam suavis est Dominus. Melior est dies una in atris tuis super milia,* sed universum

malum in nobismetipsis, in nostris inquam inordinatis appetitibus, voluptatibus et deliciis, quas nobis mundus offert. Needum Egyptiacam consumpsimus farinam, ideoque carnes et alia ambimus miserabilis terræ, viamque Dei deserentes, ad infernalis Pharaonis carniunque fruitionem, ad voluptates inquam sensuales, redimus.

h. — Paralyticus peccatoris figura est; pondus enim peccati est adeo grave, quod nos veluti paralyticos in lectum projiciat inferni. Sola peccata sunt quæ nos ignem infernale timere faciunt, utpote ejus pabulum et nutrimentum existunt. Propheta Regius Deum laudare, benedicere, eique gratias agere se velle protestatur, eo quod ipsum ex inferno inferiori liberasset; ideo namque gloriatur dicens, *Psal. lxxv, 12, 13: Confitebor tibi, Domine Deus meus, in toto corde meo, et glorificabo nomen tuum in æternum, quia misericordia tua magna est super me: crasti animam meam ex inferno inferiori.* Davidem dum vixit ad infernum descendisse, indeque a misericorde Deo ereptum fuisse non constat; cum itaque ex inferno inferiori nihilominus se exemptum dicat, de alio sane inferno intelligendus est, differente ab illo, qui in terræ centro est situatus. Cujus dubii solutionem S. Hieronymus docte resolvit dum ait: « Non quod duo inferni sint; sed iste « superiore infernum, peccatum dixit; inferiorem « vero, qui est verus infernus, in quo peccatores « damnantur. » Imo non modo peccatum, sed et peccatores, inferni titulo afficiuntur, juxta Rabanum, dicentem: « Inferni nomine omnes iniqui « designantur; » idque ex illo Apocalypseo textu, ubi de judicio futuro sermo est, sufficienter probat, quando dicitur: « Infernus et mors, missi sunt in « stagnum ignis. »

S. Hieronymus super *Isa.*, lxxvi, sic habet: « Ignis « tandem succenditur, quamdiu habet materiam, « qua vorax flamma pascatur. » Pabulum vero incendi infernalis sunt peccata, ac proinde anima innocens ac immaculata damnis ejus subjacere non potest. Fornax Babylonica quadamtenus illam ignis præduravit abyssum; in ea enim tres pueri liberi et ab omnibus vinculis soluti ambulabant, et haud secus, ac suavi rore respersi, refrigerabantur. Propter peccatores locum illum in altum excrevit; innocentibus vero consolationem et refrigerium suggerit.

## VERSUS 2.

*Et videns Jesus fidem illorum, dixit paralytico: Confide, fili, remittuntur tibi peccata tua.*

*Et videns Jesus fidem illorum.*

1. — Vidit Salvator horum bajulorum, paralyticum summa cum charitate offerentium fidem, non corporali, sed divino oculo; unde Dionysius Carthusianus inquit: « Videns oculo interiori fidem

« offerentium paralyticum; » sentitque huic etiam fidem anumerari ipsiusmet infirmi: « Qui etiam « fidem habuit recuperanda sanitatis, et potentia « Christi; » ejus rationem hanc esse docet Chrysostomus, et indicium: « Non enim permisisset « se submitti per tectum, non credens; » ejus etiam opinionis Euthymius fuit, inquiens: « Fidem « non solum dimittentium, sed ejus quoque, qui « dimissus erat; neque enim se dimitti sustinuis- « set, nisi salutem consequi sperasset. » Nisi enim fiduciam grandem habuisset, tanto se nequaquam exposuisset periculo et incommodo, in lecto namque et in tecti summitate delatus, et iterum ex eadem in inferiora demissus fuit. Toletus porro bajulorum fidem, infirmi præponit fiduciam, inquiens: « Multo prestantior erat fides gestantium, « qui nulli labori perpercerunt, ut Christo offerrent; « qui portarunt, ascenderunt tectum, illic lectum « funibus traxerunt, lectum nudarunt, et per illud « funibus submiserunt. Magna fides hæc fuit, quam « tam multiplex labor corporis non potuit aver- « tere. »

2. — Ex quibus convincitur, alienam fidem et intercessionem sæpe tanti apud Deum esse valoris, ut divinam nobis pietatem imploret atque impetret; unde Lucas Burgensis ait: « Ad consecutionem « sanitatis corpori potest aliena fides prodesse, « etiam in incredulitate aut impietate perseveranti; « ad animæ vero sanitatem eatenus, quantum illud « a Deo impetret, ut penitentia impio, fides et « penitentia incredulo dentur. » Albertus Magnus declarat mysterium, cur Evangelista nullam fecerit mentionem fidei infirmi, sed tantum portitorum: « De fide offerentium loquitur, ut instruat, quod « intercessio multorum multis impetrat salutem; « prædestinatio enim sanctorum juratur orationi- « bus. » Venerabilis Beda argumentum quoddam facit a minori ad majus: « Intuendum sane, quanti « propria cujusque fides apud Deum valeat, ubi « tanti valuit aliena, ut totus homo repente, hoc « est, exterius interiusque jam salvatus exurgeret. »

*Dixit paralytico, confide.*

3. — In Syriaca legitur: *Bono sis animo.* Salmeron ait: « Verba blandi medici; » non solum in eo confidentiam postulat, sed cum hac quoque conjunctam requirit fidem, quia hæc necessaria erat ad effectum spirituale consequendi salutem et peccatorum remissionem, nam ut Lyranus ait: « Licet « sanitas corporis, vel aliquid hujusmodi detur « alicui propter alienam fidem, remissio tamen « peccatorum non datur alicui, sine propria fide. » Opinatur Toletus, infirmum hunc corporaliter, valde quoque et in spiritu debilem fuisse, unde ait: « Quia paralytico dixit, *confide,* ad perfectam fidem « fiduciamque exhortans, quasi non ea fides præ- « ditus esset, qua qui eum obtulerant. »

4. — Conformiter infallibili huic axiomati : *Joh.*, vi, 44 : *Nemo potest venire ad me, nisi Pater meus traxerit eum*, dicendum esse existimarim, quod Deus huic paralytico excitantem interius induerit gratiam, ut cor ejus foco succenderet ardentius in Salvatorem fidei et charitatis, ita ut de peccatis suis contritus, firma eliceret emendandae vite proposita, id quod Dionysius Cartusianus hisce etiam nos verbis docet : « Antequam peccata indulset infudit ei quamdam displicentiam, seu contritionem culpae. »

5. — Citra omnem controversiam, paralyticus hic peccatis immersus, fuerit peccatoris cujusdam figura, pluribus aggravati culpis. Quare igitur Christus eum non repudiavit, non objurgavit, sed tanta cum benignitate et facilitate recepit? Admirabatur et stupebat nimiam Davidis in hostes mansuetudinem princeps militiae Joab, dicens : *Diligis odientes te*. Filius natu major, parentis sui indignabatur blanditiis, quibus fratrem ejus prodigum, filium suum immergerum exceperat; suspiciebat Simon Leprosus, et carpebat Salvatoris benignitatem, peccatrice incredibili cum gaudio et júbilo recipientis; stansque illi, non miror ergo, dum ex ore protomedici hujus divini audio, *Matth.*, ix, 42 : *Non est opus valentibus medicus, sed male habentibus; non veni vocare justos, sed peccatores*.

#### Fili.

6. — Perpendit Salmeron, non indignari Christum ob divini verbi interturbationem, aut quamcumque aliam similem importunitatem, unde ait : « Non indignatur, sermonem suum tam funesto a interrumpi spectaculo, non exprobrat impudentiam et importunitatem hajulorum, non imperfeculam fidem erga se, quasi absentem absens salvare non posset. » Id profecto summa admiratione dignum est, quod Christus foedum hoc et agonizans cadaver, peccatoris habituati prototypum, filii titulo cohonestet; praesertim cum honoratissimum et amabilissimum hoc epithetum nulli alteri a Christo attributum esse constet, saltem ex Evangelio; id quod S. Hieronymum exclamare coegit : « O mira humilitatis despectum et debilem, totis membrorum compagibus dissolutum, filium vocat, quem Sacerdotes non dignabantur attingere. »

7. — Docet Lucas Brugensis hunc filii titulum, efficax esse motum conversionis et respicientiae peccatorum. Notat autem Salmeron, paralyticum filium nuncupatum fuisse, non tam vi creationis, quin potius intuitu doni et divinae gratiae, quam ei Christus contulit : « Filium vocat, » ait Salmeron, « non tantum creatione, sed gratia; nam et peccata toribus praecipitur dicere : *Pater noster*. » Haec porro prerogativa soli fuit legi gratiae concessa, in Testamento namque antiquo nullus omnino, teste S. Augustino, Deum nomine patris compellere

ausus fuit; quam dignitatem penitus contempsit Chrysologus, *Serm.* lxx, dicere non dubitavit : « Ad verbum hoc expavescit universa creatura servas Dominum, patrem vocare audeat; » neque mirum; quis enim non videt, summae magnificentiae esse in homine, quem servum, imo et mancipium, suprema Altissimi majestas, cognomento filii honoravit? Profecto juxta S. Gregorium, *Hom.* xvi in *Ezech.* : « Omnia dona excedit hoc donum, ut Deus hominem vocet filium, et homo Deum nominet patrem. » Quandoquidem igitur Filius Dei paralyticum hunc, suum agnovit filium, consequens fuit, ut et Filium Dei, suum profiteretur patrem; efficax enim et operativus est sermo Dei, qui dicitur, et facta sunt; a quo totam et securam acceperat salutis suae gratiam, conformiter huic S. Augustini testimonio : « Quaedam impetrandi praesumptio, cum priusquam aliquid peteremus; tam magnum donum accepimus, ut sinamur dicere : *Pater noster*; quid enim non dabit filiis petentibus, cum hoc ipsum ante dederit, ut filii essent? » Juxta S. Lucae calculum, Christus paralyticum nomine compellavit hominis : *Quorum solent ut vidit, dixit : homo, remittuntur tibi peccata tua*; at quod obsecro diversae hujus nomenclaturae mysterium? Respondet Glossa : « Lucas dicit, homo, quasi dixit Jesus, quod uterque Evangelista testatur. » S. Augustinus pariter ait : « Lucas non dixit, *filii*, sed homo : ad sententiam Domini expressus insinuandam valet, quia homini dimittebantur peccata, qui hoc ipso quod homo erat, non posset dicere : non peccavi. » Intuitu itaque peccati dicitur homo, respectu vero gratiae, et peccatorum remissionis, filius, quo sensu Evangelista inquit : *Dedit eis potestatem filios Dei fieri*. Insigne profecto solatium omnibus in hac vita tribulatis et afflictis, de quorum classe et hic erat paralyticus, ex ipsius aeternae Veritatis ore audire, quod tales apud Deum inter filios computentur; id quod etiam expresse nos docet Apostolus, inquit, *Heb.*, xii, 6 : *Quem enim diligit Dominus, castigat, flagellat autem omnem filium, quem recipit; in disciplina perseverante, tanquam filius tuis offert se Deus; quis enim filius, quem non corrumpit pater? Quod si extra disciplinam estis; ergo adulteri et non filii estis*.

#### Remittuntur tibi peccata tua.

8. — Urget Angelicus Doctor, et quaerit : « Quid est, quod iste petebat sanitatem corporis, et Dominus dat sanitatem animae? » Respondetque ipse, id Christum fecisse, ut primo radicem evelleret infirmitatis, quae est peccatum. « Ratio est, quia peccatum erat causa aegritudinis. » Hunc autem sanationis processum et methodum Lyranus hocce experti cujuscumque medici exemplo commendat : « Ad modum boni medici, qui primo removet causam morbi, et tunc postea intendit

curationi; infirmitas autem haec fuit inflata paralytico propter peccatum, et ideo primo Christus removet causam, dicens : *Remittuntur tibi peccata tua*. »

9. — S. porro Hieronymus ex haec mysteriosa Christi operatione elicit, Christum hoc agendi modo nos docere voluisse, quod potissima infirmitatum corporalium originem trahant ex peccatis : « Datur nobis intelligentia, » inquit, « propter peccata plerasque evenire corporum debilitates, et ideo forsam dimittuntur prius peccata, ut causis debilitatis ablatis, sanitas restitatur; » id quod etiam Ecclesiasticus, xxxvii, 13, nos docuit inquit : *Qui delinquit in conspectu ejus, qui fecit eum, incidit in manus medici*. Ut olim Deus populum suum Israeliticum ad plenam alliceret divinarum preceptorum observantiam, ita eis protestabatur, *Exod.*, xv, 26 : *Cunctum languorem, quem posui in Aegypto, non inducam super te*; vel ut Septuaginta legunt : *Omnem languorem, etc.* In cuius textus commentario ita inquit Oleaster : « Adverte, causam infirmitatum nostrarum, quas hic patimur, esse peccatum. » Psalmista etiam ad divinam Majestatem conversus, lamentatur, *Psal.* xxvii, 8 : *Pesisti iniquitates nostras in conspectu tuo et saeculum nostrum in illuminatione vultus tui*. Sed hic forte trageediae finis? nequaquam; audite quod sequitur et discite peccatorum fructus : *Quoniam omnes dies nostri defecerunt et in ira tua defecimus*. Quanto amplius multiplicamus offensas, tanto celerius vite nostrae abbreviamus spatium : *Anni nostri sicut aranea meditabuntur*. Accommodatior profecto similitudo dari non potuisset, quam aranea; sicut enim haec eo ipso, dum telam orditur, se exenterare incipit, ita pariter, impius, flagitiis deditus, ipso eodem tempore, quo appetitibus suis indulgere, iisque obsecundare incipit, incurabiles et mortales contrahit infirmitates; ideoque S. Ambrosius inquit : « Unusquisque se eviscerat luxuriosus, belluo se interneeat. » Unde et Sapiens, *Prov.*, x, 17, inquit : *Timor Domini apponet dies, et anni impiorum breviabuntur*. De his et similibus Dei adversum rebelles supplicis discurrens Propheta *Job*, xxxiii, 19, eandem nobis veritatem non obscure confirmat, dum ait : *Incepit quoque per dolorem in lectulo et omnia ossa ejus marcescere facit*. Scitis utique modum procedendi, quem servat justitia humana circa reos, prius enim ipsos ad compedes et carceres, tandem vero ad furcam condemnare assolet; ita pariter justitia divina non illico impios aeternae damnationis sententiam plecti, sed infirmitate aliqua incurabili affectos, lecto affigit, in eoque coeret, ad hoc ut respiciant et divinam pietatem implorent, vel etiam ut hic in terris, alterius vite supplicia experiri incipiant.

10. — Albertus Magnus varias causas perpendit, ob quas infirmitatibus infestemur : « Quinque modis

« infirmitates et tentationes contingunt. Primo, ut justis merita per patientiam augeantur, ut *Job.*, c. 1. Secundo, ad custodiam virtutis, ne superbia tentet, 1 *Corinth.*, 12. Tertio, ad corrigendam peccata, sicut Mariae lepra, *Num.*, ii, et huic paralytico. Quarto, ad gloriam Dei manifestandam, ut *Joh.*, ix, de ceco nato, et *Joh.*, xi, de Lazaro. Quinto, ad initium poenae aeternae, quatenus hic videatur, quid in inferno sequatur. Unde, *Jerem.*, xvii, 18 : *Duplici contritione conterere eos*. »

11. — Divus Chrysologus paralyticum hunc, dum omnia peccata sua sibi dimitti audiret, quod certe beneficium fuit incomparabile et majus quam in totius vite decursu sperare potuerit, ne verbo quidem se erga Christum gratum exhibuisse, acute observat, dum ait : « Adveni veniam et taceat paralyticus, nec ullam rependit gratiam, » ejus negligentiae rationem protinus subjungit, nimirum : « Quia plus corporis quam animae tendebat ad curam. » Idem quoque hodie a majori parte hominum fieri ipsa nos quotidie docet experientia, dum omnes magis solliciti sunt ad rogandum Deum et Sanctos ejus pro corporali, quam pro spirituali salute impertienda; etenim ex centenis et millenis tabellis et votis ad imagines miraculosas suspensis, vix unum reperietur, quo gratiae referantur Deo aut Sanctis, quod ipsorum intercessione a suis fuerint peccatis liberati. S. Joannes Episcopus, a S. Thoma in *Catena* citatus, idem, quod jam ex S. Chrysologo retulimus, asserit, simulque subjungit : « Merito ergo Christus offerentium recipit fidem, non veordiam jaentis. » E contra vero Lucas Brugensis dubitari non posse dicit, quin paralyticus iste ad peccatorum suorum veniam et remissionem, interius per compunctionis actus cooperatus fuerit : « Non dubium est, quineger coneeperit displicentiam peccatorum, penititque eum male anteaecta vitae, ubi sanitatis scilicet recuperanda gratia, tanto fervore Jesu offerri petivit, publico penitentiae praeconio; » verum quidem est quod praecipua ejus cura, in intercedendo pro salute corporali, adhibita fuerit. Unde Glossa ait : « Prius sanatur anima, ne gratias agit, qui plus desideravit curam corporis. » At vero notandum, quod, licet ipse primo loco pro sanando corpore anxius fuerit, Salvator tandem noster, qui seipsum medicum appellat, dum ait : *Non est opus valentibus medicus*; de quo etiam S. Augustinus ait : « Magnus de caelo venit medicus, quia magnus in terris jacebat aegrotus; » hanc salutem ei ultimo loco concessit, ut per hoc doceamus, quod, dum infirmamur, maxima cura eo tendere debeat, ut animam a multis peccatorum humoribus purgemus, quia hac ratione medicinas quoque corporales nobis proficinas esse facimus; unde Hugo Cardinalis S. Augustinum citans, dicit : « Notat Augustinus, ut sanitas restituar, argumentum, quod medicus

« hortari debet egrum ad penitentiam et confessionem, ne per peccatum irretetur medicina effectus. » Peritus quisque et expertus medicus, dum infirmum cum pluribus morbis conflitantem accedit, eum, qui periculosior et mortis propinquior est, primo loco curare studet; eodem quoque modo in præsenti, quia Salvator noster peccata nostra in hoc languente majus lethaliusque malum esse agnoscebat, quam erat paralysis; ideo primo loco ad illa tollenda curam animique applicuit: « Ut doceat, » inquit Salmeron, « quanto plus referat curare animam, quam corpus, et quanto pejus sit peccatum omni infirmitate. » Sancta Mater Ecclesia filiorum suorum salutis amans et zelosa, ordinavit sub interminatione censurae, præcipiens medicis ut infirmos suos illico admonerent instituendæ confessionis. Eadem forte etiam de causa in Missa ferie quartæ post Dominicam quartam Quadragesimæ, in Missæ secreta dicitur: « Supplices te rogamus, omnipotens Deus, ut his sacrificiis peccata nostra mudentur, quia tunc veram nobis tribuis et mentis et corporis sanitatem. » In cujus confirmationem considerare quoque possumus, quod potissimum divina pietas et misericordia infirmitates nobis immittere solet ad castiganda peccata et procurandam nostram respicientiam et emendationem. Unde S. Basilus ait: « Sepe morbi velut quedam peccatorum flagella sunt, quibus nihil aliud agitur, nisi ut vitam nostram in melius commutemus. » Quot obsecro sunt, qui in gravibus suis infirmitatibus penitentes vere, proposita elicitur novæ meliorisque vitæ, si a tali aut tali morbo eos resurgere contingat? De his verificatur illud, quod de Lazaro dicebat Christus, Joan., xi, 4: *Infirmus hæc non fuit ad mortem, sed pro gloria Dei.* Sed obsecris fortasse, non semper confessione facta resurgimus sani; ita namque et hic paralyticus non subito se proripuit e lecto suo, quando ei fuerunt remissa peccata: *Remittuntur tibi peccata tua, sed quando dixit: Surge.* Respondetur, verum esse, quod non semper ex eo, quod peccatum remissum sit, sequatur, quod simul etiam remissa sit poena temporalis, sed hæc opus est expiare vel igne purgatorii, vel in hac vita per poenitentias afflictivas, ac proinde Deus in utilitatem nostram disponit, ut commodius pro poena temporali satisfaciamus, vel per infirmitatis continuationem, vel per alias adversitates similes.

**12.** — Verisimile quoque est, Salvatorem nostrum in hoc facto docere nos voluisse, quod salus animæ sæpe in corporis quoque redundet salutem; quia infirmus conscientiam inquinatam habet, sequè inimicum Dei esse et uno pede in inferno consistere, adeoque rigorosissimis subjiciendum esse supplicia recognoscens, timet, trepidat, horret appropinquante excidio; et contra vero, qui bona mediante confessione, se in gratiam restitutum sperat, adeo-

que in quovis obvio mortis accidenti, æternæ beatitudinis regnum consequi confidit, sereno semper et quieto est animo; et hæc quies interior ad sanitatis corporalis recuperationem plurimum proficit.

**13.** — Salmeron duo alia motiva ponderat; dicit enim: « Prius dedit sanitatem animæ, ne illa corporis, manens in peccatis, abuteretur; deinde, ut doceat liberalitatem Domini, qui præstat superabundantius quam petimus, aut intelligimus; » sicut enim, si quis argenti monetam dare postulatus non solum hæc, sed insuper auream daret, magnum utique liberalitatis suæ conceptum petenti ingereret: « Ita largus est, qui petenti « sanitatem corporis, illam etiam animæ præstat; » utique igitur fervens illorum, qui paralyticum portarunt, fides, superabundanter remunerata remansit.

#### Additiones.

**a.** — *Et videns Jesus fidem illorum.* Videns, non solum intuitu divinitatis, sed etiam corporalibus oculis; nam quamvis fides sit actus mentis, tamen in opere videtur ac manifestatur. Unde non sufficit hominem ad fidem vocatum esse, nisi etiam conformiter ad eam operetur. Relixistis vos aliquando, ubinam a nobis Gentilibus, prima omnium sit nostræ erga Christum fidei facta professio? Uti-que in tugurio seu stabulo Bethleemico, quando tres Magi Orientales, *procedentes adoraverunt eum, summæque gloriæ Regi reverenter præstiterunt hommagem.* Veruntamen, ut sacri Doctores sapientissime observant, in hoc nudo obsequio minime substituerunt, nisi insuper suos illi aperirent et offerrent thesauros. Unde S. Leo ait: « Ut sacramentum fidei suæ manifestent, quod cordibus « credunt, muneribus protestantur. » Postquam Deus S. Petrum miracula operandi dono condecorasset, quodnam primum fuisse existimatis opus, in quo eximiam hæc exerceret potestatem? Num forte in eo, quod amissam vocem restituerit et loquelam? aut quod cæcum visu donavit? vel mortuum revocaverit ad vitam? Minime gentium; sed primum quod operatus fuit miraculum, fuit sanatio claudi, idque non sine ingenti mysterio; siquidem, *omnia in figura continebant.* Per hoc namque insinuare nobis voluit, quod Jesu Christi nomen et consequenter fidem nostram profiteremur, curandum quoque nobis, ut gressus probe et expedite dirigantur, id est, ut fidei, quam professi sumus, operibus respondeamus: *Apprehensa manu ejus dicit: Surge et ambula.* Is namque qui antea claudicaverat, id est, qui veri Dei notitiam non habuerat (de quibus dicitur: *Utsqueque claudicatis in duas partes?*) postquam a Deo ejusque ministris erectus est, id est, postquam ad orthodoxæ pervenit fidei notitiam, eandem quoque operibus comprobare debet, ambobus videlicet pedibus recte

ambulando, id est, credendo et bene operando. Audiamus hæc de re loquentem S. Ambrosium, *Serm. lxxvii*: « Si Petrus petra est super quam « edificatur Ecclesia, recte prius pedes sanat, ut « sicut in Ecclesia fidei fundamentum continet, ita « et in homine membrorum fundamenta confir- « met. Recte inquam primo in Christiano pedes « curat, ut jam non imbecillis possit supra petram « Ecclesiam, sed robustus et fortis incedere. »

In Actibus Apostolorum, Deus e Cælo ad Cornelium Centurionem Angelum quemdam submitit, qui eum monebat ut mitteret ad accersendum S. Petrum in domum suam, quia in hac, gentilitati ad religionem christianam amplectendam, portam et liberum patefacere aditum statuerat. Observanda autem sunt verba Angeli, qui de Petro ei dixit: *Hic dicit tibi quid te oportet facere;* quibus verbis facienti et operandi mentionem facit, quia hoc in fide præcipuum et principale est, ut scilicet juxta id quod credit vitæ suæ actiones instituat, eique conformiter operetur. Unde S. Gregorius ait: « Vera fides est quæ in hoc, quod verbis dicit, « operibus non contradicit. »

**b.** — Magna fuit fides paralyticum offerentium; aliter enim minime ipsi ad lectum condescenderent, ut inde per funes hominem dimitterent ante Christum. Magna enim fuit fides illius infirmi, ut patet; et tamen solum Evangeliste mentionem faciunt de fide offerentium, et non paralyticæ. Cur hoc? Respondetur quod quando in Scriptura tribuntur mirabiles effectus fidei, intelligitur de fide viva, quæ est charitate formata, hoc est, fides cum operibus charitatis ac amoris in Deum. Nam fides sine operibus mortua est. Cum autem dicitur: *Videns fidem illorum,* hoc intelligitur de fide viva. Ac proinde principaliter de fide offerentium. Nam qui infirmum portabant, charitatem et misericordiam in fructu habebant. Sic igitur sit et fides tua constituta. Fides cuius thesaurus prævalet; ut hoc tamen in se pretium habeat, ipsam a charitate nequaquam sejunctam esse oportet. Petrus Apostolus, *1 Epist., 1, 7,* ait: *Probatio fidei multo pretiosior auro,* super quæ verba Glossa Interlinearis inquit: « Plus placet Deo summo artifici vestra fides, quam « alicui artifici aurum. » Sciendum tamen est quod ut aurum hoc fidei pretium justum habeat, ignitum esse debeat; addit enim S. Petrus precedentibus verbis citatis: *Quod per ignem probatur;* siquidem fides absque charitate nequaquam prodest. Quapropter et S. Joannes, *Apoc., iii, 14,* ad aures suas audivit allapsam vocem: *Angelo Laodicæ Ecclesie scribe: Hæc dicit: Amen, Testis fidelis. Scio opera tua, quia neque frigidus es neque calidus; utinam frigidus esses, aut calidus; sed quia tepidus es, et nec frigidus, nec calidus, incipiam te vomere ex ore meo. Quia dicitis: Quia dives sum et locupletatus, et nullus ego, et necis quia es miser et miser-*

*bilis, et pauper et cæcus, et nudus; suadeo tibi emere a me aurum ignitum, probatum, ut locuples fias.* Ast quis vestrum causam mihi edixerit, unde tam ingens vobis Episcopi, tanto in discrimine versantis, omni bono destituti, omnibusque cæli donis et gratis spoliati, promanarit miseria? Respondit Lyranus inquit: « Ille Episcopus Laodicænsis « dicebat: Fidem sine operibus sufficere ad salu- « tem. » Ecce igitur vobis in quonam nimis Prælati error præcipue constitutus fuerit, hujusmodi quia divitem se esse gloriabatur, qui solius fidei thesaurum possidebat, quem solum ad salutem sufficere arbitrabatur. Cui obstrepit S. Petrus dum ait: *Probatio fidei pretiosior auro, quod per ignem probatur.* Unde et Deus dictum Episcopum a manifesto adeo errore liberaturus subjungit, dicens: *Suadeo tibi emere a me aurum ignitum, id est, ut Interlinearis explicat, charitatem;* seu ut Lyranus interpretatur, *charitatis incendium.* Nam ut S. Augustinus ait: « Quis salubriter fidelis, nisi eam fide « quæ per dilectionem operatur? »

**c.** — Representabat hic paralyticus animam in Purgatorio detentam; uti enim paralyticus in lecto Christo per se appropinquare non poterat, ita nec illa a purgatorio igne se potest proripere, sed alieno charitativo opus habet. Et ideo turbæ pius hujusmodi animarum adjutores designant. Pulchre Vener. Beda: « Intendamus sane, quantum propria « ejuisqueque fides apud Deum valet, ubi tan- « tum valet aliena, ut totus homo repente interius « exteriusque sanatus exsurget. Aliorum merito « aliis relaxantur errata. » Itane aliorum fides valet? An ergo formata esse debeat, ut animabus prosit? Controversia est. Videtur autem quod Christus in iis qui orant et satisfacere intendunt pro aliis, fidem in charitate formatam requirat, quia nullum opus, quantumvis in se bonum sit, meritorium esse potest illi pro quo offertur, si offerens inimicus sit Dei. Dicit enim Apostolus, *1 Cor., xii, 1:* *Si linguis hominum utor, etc., charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest.* David autem, *Psal. lxxviii, 18,* inquit: *Iniquitatem si aspexi in corde meo, non exaudivit Dominus.* S. Bonaventura, in *Compendio theologicæ veritatis,* dubium hoc resolvit, dicens: « Ex parte agentis requiritur quod sit in « charitate. » Neque in controversiam vocari potest quin hæc opinio securior sit, et animabus purgantibus fructuosior. Nam ut S. Bernardinus ait: « Quanto magis ille qui facit aliquid bonum, est « in majori gratia Dei, tanto magis placet Deo, et « anime recipiunt majorem consolationem et præ- « mium; quia quanto est magis justus, plus valet « et prodest animabus, quia Deus est magis con- « formis et gratus suæ orationi, quam alienus non « justus. Quemadmodum si amicus dominationis « peterit aliquam gratiam pro aliquo, magis exau- « dit eum quam si foret suus inimicus. Secunda

« veritas est quod elemosyna facta a justo pro  
« defunctis, plus placet animæ in Purgatorio exis-  
« tenti, et majorem illi consolationem affert, quam  
« facta ab uno peccatore. Ratio est quia ex quo  
« illa anima in Purgatorio existens est in gratia,  
« fit conformis voluntati divinæ et placet sibi quod  
« placet Deo, et displicet sibi quod displicet Deo;  
« et sicut Deus magis exaudit orationem justi, et  
« accipit elemosynam ipsius potius quam pecca-  
« toris, ita accedit in animabus Purgatorii, quia  
« magis placent ei bona justi quam peccatoris.  
« Tertia veritas est quod etiam licet homo sit pec-  
« cator et faciat aliquid bonum pro animabus Pur-  
« gatorii, tamen illud bonum potest valere ipsis  
« animabus. Et mihi placet quidem, quia est  
« magna confortatio peccatoribus, quod bona que  
« peccator facit in peccato mortali, non valent  
« sibi, sed animabus. Sed quomodo valebit anima-  
« bus in Purgatorio existentibus, quia videtur  
« quod non plus potest conferre aliis, quam in se  
« habeat? Et si bene recordaris, ubi tetigi de ista  
« materia, ego dixi quod Deus confert peccatori  
« bonum, quia facit habere bonam fortunam in  
« hoc mundo, et valet sibi ad consequendum prop-  
« ter illud gratiam Dei et contritionem peccato-  
« rum suorum; et sic hujusmodi valet existenti in  
« Purgatorio, quia existens in Purgatorio habet  
« penas temporales. » Paulo post vero hanc sub-  
« necit exhortationem: « Quamvis sis in peccato,  
« non cesses orare pro defunctis et facere elemo-  
« synas et alia bona pro eorum animabus, quia  
« etiam orabunt pro te, quod Deus det tibi gratiam  
« penitendi. » An vero indulgentiæ animabus illis  
« ab eo qui non est in gratia Dei, applicatæ valide  
« sint, quoad hoc Santarellus affirmative respondet  
« et probat, quia si, v. g. Papa concedat, quod qui  
« talem Ecclesiam visitat, animam aliquam ex Pur-  
« gatorio liberare possit, non est necessum ut is qui  
« hanc visitationem adimplet, sit in gratia; et ratio  
« est, quia hæc indulgentia data est in favorem ani-  
« marum purgantium, que sunt in gratia, et conse-  
« quenter depositæ et capacæ ad acquirendum sangui-  
« nis et meritum Christi ac aliorum Sanctorum,  
« in ærario Ecclesiæ depositum thesaurum.

S. Bonaventura querit: An suffragia magis pro-  
« sint illis, pro quibus fiunt, vel aliis? Citatque  
« S. Augustinum dicentem: « Ideo prosunt, quia  
« meruit ut prodessent: ergo si magis meruit,  
« magis prosunt; quia in per se prædicatis talis  
« consequentia tenet. Item profectus suffragiorum  
« est secundum Dei distributionem; ergo si ipse  
« non est acceptor personarum, videtur quod ma-  
« gis debet distribuere ei qui magis est dignus. »  
« Seraphicus Doctor tamen pro contraria opinione  
« concludit, sequentibus rationibus innixus: « Cum  
« Deus exaudit nos, quodammodo conformat vo-  
« luntatem suam nobis, quia obedit Deus voci

« hominis. Ergo si aliquis habeat charitatem, et  
« oret specialiter pro aliquo, videtur quod Deus  
« specialiter accipit pro illo; ergo videtur quod  
« magis prosint illis, pro quibus specialiter fiunt.  
« Item si in vita ista aliquis daret elemosynam,  
« magis sibi prodesset quam aliis; ergo si ad ejus  
« imperium detur post mortem, cum pro tali ha-  
« beat Deus, ac si impenderet, magis ergo prodest  
« sibi quam aliis. Item Deus acceptat opus secu-  
« dum intentionem, sed intentio facientis est quod  
« specialius et magis prosit illi pro quo facit. Item  
« per impossibile ostenditur, quia si non prodest  
« magis, ergo non oportet specialiter rogare pro  
« aliquo; ergo movetur stulte tota Ecclesia, quia  
« specialiter orat. » Tandem vero dubium hoc se-  
« quenti conclusionem solvit et explicat, inquires:  
« Suffragia mortuorum, si fiant in communi, pro-  
« sunt magis ei qui magis meruit; quod si in  
« speciali, magis prosunt ei pro quo fiunt. »

Porro idem Seraphicus Doctor, in eodem *Compendio theologicæ veritatis*, ut nos omnes ad hæc  
« suffragia tanto efficacius permoveat, sequentem  
« subnequit notat dignam considerationem inquires:  
« Quamvis suffragia non prosint his, qui sunt in  
« inferno, aliquo modo prosunt etiam illis. Unde  
« nota, quod valent illis qui sunt in Purgatorio,  
« per modum purgationis, valent salvati qui sunt  
« in celo, per modum conjunctionis, quia multipli-  
« catio salvandorum augmentat gloriam accidentia-  
« lem; valent et damnatis in inferno per modum  
« diminutionis, quanto enim plures salvantur per  
« meritum Ecclesiæ, tanto pauciores damnabuntur;  
« et ita minor erit pena per subtractionem con-  
« sortii illorum. »

d. — *Confide, fili.* Victor Antiochenus, in *cop. a  
« Marci*, sic in hunc textum scribit: « Quod autem  
« paralyticum hunc filium vocat, illud aut propter  
« fidem, quam de illo conceperat, facit, aut certe  
« ad creationis causam respicit. » Nec immerito  
« ideo filium vocat, quia ad creationis causam respi-  
« cit, quia homo Dei opus est. O quantum hoc est Dei  
« in hominem beneficium, dum a Deo esse et hoc  
« quidem nobilissimum accepit, ita ut idcirco filium  
« vocet hominem. Quantas igitur idcirco non habet  
« obligationes, ad gratiarum actionem. S. Gregorius  
« Nysenus postquam oculos suos ad hanc vastam  
« universi machinam direxisset, eandem a superno  
« Artifice fabricatam esse considerans, subjungit:  
« Quis me cum pulvis inanims pulvis essem vite  
« pariter et mentis participem fecit? Quis hoc lutum  
« ad imaginem figure divinæ formavit? » S. Bernar-  
« duses, in sermone de quadruplici debito, inquit:  
« Eccc in januis est qui fecit celum et terram, et  
« Creator tuus est, tu creatura; ille figuratus, tu  
« figmentum. Totum ergo quod es, illi debes a quo  
« totum habes, illi præcipue Domino qui et te fecit,  
« et benefecit tibi. » Idem quoque in alio sermone

ad hoc tam sublime esse contemplandum his verbis  
« invitat: « Cogita qualem te fecit; nempe etiam  
« secundum corpus egregiam creaturam, sed se-  
« cundum animam magis, utpote imaginem Crea-  
« toris insignem, rationis participem, capax  
« beatitudinis sempiternæ. » Divus Chrysostomus,  
« *Hom. xvii in Gen.*, diversas divinitus homini inditas  
« gratias favoresque considerans, sequentem enarrat  
« beneficiorum seriem dicens: « Quomodo quis cogi-  
« tare sufficeret ea que in nos jam sunt collata, que  
« item promissa, que et quotidie conferuntur?  
« Quod ex nihilo produxit, ut essemus, quod corpus  
« et animam dedit, quod rationales nos formavit,  
« quod aerem respirationi concessit, quod creatu-  
« ram omnem propter humanum genus produxit. »  
« Nobis alia moneta presto non est, qua infinitas  
« obligationes nostras erga Deum exsolvere valeamus,  
« præterquam humilis et obsequiosa gratiarum actio.  
« Magno debito obligata es, anima mea, » inquit,  
« in Meditationibus suis, S. Augustinus, « multum  
« accepisti et nihil a te habuisti, et pro omnibus his  
« non habes quod retribuas, nisi tantum ut dili-  
« gas. » S. Bonaventura modum tradit, quo bona  
« que recipimus, digne meditari et ponderare valeamus:  
« Seias, » inquit, « quod triplici considera-  
« tione potes tuas meditationes variare et dilatare,  
« ut nunc tua quidem meditatio versetur circa  
« ipsum benefactorem, nunc circa te ipsum, cui  
« benefecit, nunc circa ipsa beneficia que tibi  
« multipliciter elargiuntur. »

e. — *Filius* vocat hunc paralyticum Salvator  
« noster; imo in Evangelio, nullum alium hominem  
« leges filium a Christo vocari. Caute dixi hominem,  
« quia Dominus mulierem illam, que tetigit fimbriam  
« vestimenti, filiam vocavit, *Matth.*, ix, 22, *Luc.*, viii,  
« 48. Hunc autem inter cæteros, filium dixit, quia hic  
« erat valde miserimus pauper, dissolutione mem-  
« brorum infirmitatem patiens, et tantam hominis  
« miseriam, tam blando atque affabili nomine filii  
« voluit Dominus leigare ac consolari, nobis præbens  
« exemplum, quam sibi gratum sit subsidium et com-  
« passio in pauperes, ejus multi et pretiosi sunt  
« fructus, etiam in hac vita mortali, sed præstat majores  
« his considerare.

S. Damascenus gloriam et honores immensos in  
« iudicio finali, toto celo, terraque spectante, elemo-  
« synarum obtenturos considerat, quando Christus in  
« majestate residens, non ad Apostolos, Virgines  
« et Martyres, sed ad illos qui pauperibus misericordiam  
« præstitere, cum gratiarum actione conversus,  
« frustula panis et pannos, quibus se cibatum vesti-  
« tumque asseret, exhibebit: « Deus virtutum, tunc  
« comprobabit, » inquit hic Sanctus, « Angeli lau-  
« dibus efferent, homines omnes, qui post orbem  
« conditum extiterunt, beatum te prædicabunt,  
« gloria sempiterna, gloria justitiæ, celorum reg-  
« num, præmia tibi futura sunt. »

f. — « Quod autem paralyticum hunc filium  
« vocat, » dicit Victor Antiochenus, « est quod ad  
« creationis causam respicit. » Cui etiam responso,  
« suscribit D. Hilarius, *can. viii in Matth.*, quia homo  
« Dei opus est, ac proinde quamvis homo, ob suam  
« miseriam despicendus esset, quia tamen Dei opus  
« est, ac imago illius, ideo pie tractandus, ac benigne  
« fovendus, si non propter se, saltem propter aucto-  
« rem et Creatorem.

g. — *Remittatur tibi peccata tua.* Offerebatur  
« Christo Domino iste homo, ut ab ipso sanitatem  
« corporis impetraret; ipse tamen prius dat remissio-  
« nem peccatorum. Hujus rei causam dat S. Chryso-  
« stomus, *Hom. xxx*, dicens: « Noluit statim corpus  
« palam propositum curare, verum ut inimicis  
« suis occasio traderetur, latentem atque abditam  
« curam animæ contulit, quam peccata dimisit. »  
« Priusquam Dominus petitam corporis sanitatem  
« homini daret, ei remittit peccata, prævidebat enim  
« Dominus calumniam Scribarum, que ex hoc facto  
« erat sequenda: Ut inde occasionem assumeret suam  
« probandi divinitatem, duplici scilicet signo, reve-  
« lando cordis arcana et dando salutem corporis.  
« Solet enim Deus inter invidias aliorum felicitates  
« adaugere, ut tanto magis invidium torqueat et casti-  
« get. In Ægypto populus Hebræus servituti subja-  
« cebat, desudans pro rege, plurimumque ei afferens  
« bonum, et nihilominus, hic livore in eo exarsit,  
« *Exod.*, i, 7: *Fili Israel creverunt, et quasi germin-  
« nantes multiplicati sunt ac roborati sunt.* Quem  
« profecto populum pacificum cernere impotens  
« Pharaon, legitur talem fecisse resolutionem: *Eccc  
« populus filiorum Israel multus et fortior nobis est;  
« venite, sapienter opprimamus eum ne forte multipli-  
« cetur.* Sed quem rei hujus exitum fuisse putatis?  
« Providentia divina multis Ægyptum ferit flagellis,  
« ipsamque invidium regem interfectioni dedit. Hinc  
« Scriptura ait, *Exod.*, ix, 6: *Mortui sunt omnia ani-  
« malia Ægyptiorum; de animalibus vero filiorum  
« Israel, nihil omnino perit. Et misit Pharaon ad viden-  
« dum, nec erat quidquam mortuum de his, quæ possi-  
« debat Israel, ingravatamque est cor Pharaonis.* Videns  
« namque his quo ipse oderat majores semper imper-  
« tiri coelitus prosperitates, in furorem convertebatur;  
« nec immerito, quia ut Oleaster ponderat: « Vult  
« Dominus impios cognoscere bona priorum, ut  
« inde magis invidia torqueantur, et contabescant,  
« et ut dupliciter gaudeant pii, semel de beneficiis  
« collatis, et iterum de admiratione et invidia  
« impiorum. Aggravavit se cor Pharaonis: non  
« solum malis sunt impii deterioris, sed bonis  
« iniorum quibus invident. » Diogenes quondam  
« interrogatus, quonam modo se inimico suo vindic-  
« care posset, respondit: « Veritate et arguita; »  
« id est, bene et virtuose se habendo in cunctis  
« operibus suis; hoc enim modo efficiet ut cor et  
« viscera adversarii sui per invidiam dirumpantur.